2.1.5

25

# CONCLVSIONES
## EX PRIMA
## THEOLOGIÆ PARTE

*QVAS, SVB AVSPICIIS*

REVERENDISSIMI P.

## D. ALOYSII MARIÆ
## A IANVA

*ABBATIS, ET TOTIVS CONGREG. CASINEN. PRÆSIDIS MERITISS. ET VIGILANTISS.*

PVBLICE DEFENDENDAS EXPONIT

*IN ECCLESIA*

## S. MARIÆ DE FLORETIA
## D. VIRGINIVS A BRIXIA

EIVSDEM CONGREGATIONIS, ET IN EODEM MONASTERIO ALVMNVS.

1872

FLORENTIÆ MDCC.

Apud Cæſarem, de Bindis. Sub Signo S. Bennardi.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

# REVERENDISSIME
## PATER

Credo equidem REVERENDISSIME PATER, nec vana fides, inde potiſſimum, ad devexum præteriti Seculi, novoque iam iam adventante, Te unum in ſupremum Noſtri Aſcetici Ordinis Pręſidem, omnium votis, aperta acerra expoſcentibus, afflatu potius, quam ſcrutinio, electum, proclamatumque; ut ſic in te uno probatiſſimo ſolidiorum perfectionum, vindice, omnes noſtræ Cœnobiticæ Æræ, recogitarentur anni. Annum, ſanè maximum, ad novi cuiuſdam Seculi primordia, iàm diù pollicentur Aſtronomi, in quo, Cœleſtes Sphæras, ſi quid per longæuum circuitum, à recto deflexerint axe, ad idem tandem, unde primò, moveri cæperunt, puuctum redituras vaticinantur. Citò credant hoc leves corde: cordatiſſimus tamen quiſque fateri non ambigit, ut cum tu, primum noſtri Monaſtici Cœli, factus es Mobile, iam poſt duodecimum ferè ſeculum à primo, noſtræ indictionis Cyclo, annum nunc reducas maximum; iam enim omnes, noſtrorum regularium muniorum, orbitas, quæ à primæ inſtitutionis

Polo, vel ad unguem, per trepidationis, et tepiditatis, morulas, diſceſſerint, nunc iterum circa eumdem ad amuſſim, circumvolvis. Iamque *Te* Duce noſtrorum, quondam Iuſtorum, et ſapientum, redeunt Saturnia Regna, quia de ſpiritu omnium Iuſtorum, Sapientumque, quo primus noſter Athleta BENEDICTVS repletus fuit, abundè accipis, et das nobis: Pium enim Patris dirumque agens Magiſtri, ut ille præcipit, ad preſſiorem, Sanctimoniæ, Solidioremque, doctrinarum, normam nos attrahis placidiſſimè. Imò nec eſt quiſquam noſtrum, qui tuum intuens Supercilium, occulta quadam animi, concuſſione, ad illuſtria, non excitetur facinora; quandoquidem, fateor, ut in te, ad hæc Clauſtra, vix appulſum, avidum, direxi obtutum, illicò mihi aliquid audendum, quò me quoque poſſim tollere ab humo, ſatagebam; quapropter erubui, quod in Theologica Palęſtra, ſemper Ego auditor ſim, et nunquam, de eadem quidquam à me ipſo reponam. Theoremata hæc igitur ſub tuis Auſpicijs in lucem edere, non dubitavi: ſic etenim cavebit ſibi quiſque genuinum frangere in illis, quæ tàm venerandum inſigne, gerentia, melius, quàm Cæſaris Cerva, Epigraphen illam, *Ne ferias*, in fronte præſeferunt. Quidni? ubi te, hanc meam, foventem opellam, ne dum longo, pręclariſſimoque DORIADVM Procerum ſanguine cenſeri proſpicient, ſed id potius, in quo *Te* ſupra *Te*, eſſe dixerim, per ſaniorem, nempè Cœnobiticæ diſciplinæ, doctrinęque, ſemitam inceſſiſſe, ad eamque nos modo, noſtrum Ducem, et Lucem, prudentiſſima, manuducere vigilantia. Verum enim vero, rude hoc opuſculum, et informe, tua nimium, ne abutatur, vereor, patientia, tantam ſibi auſpicans Clientelam. Haud equidem par eſt. *Te* igitur, eiuſdem Cenſorem prius agere, deprecor, ut inde ſortiar, et Patronum: nec enim, te decere, nec mihi arbitror expedire, ut harum *Thesium* iunctura, licet meos ſæpè demorſos ſapiat ungues, tuo munimine fulciatur, niſi tuos ſanioris antea Criterij, exactiſſimos effundat ungues. Poſthac utique nemo, emunctis pollens naribus, erit qui eaſdem vel hic legens, exaratas, criſpanti aſpiciat naſo, vel à me audiens propugnatas, cubito tangat ſocium. Quod totum,

deni-

denique ut præſtantius aſſequar, utque, fauſtiſſima nobis *Te* Præſule, huius Seculi, inchoatio, optimo mihi cedat omine, dieſque una ſit, quę nè dum à mea, hac luce ineunda diſſertatione, nigrum avertat cenſuræ *Theta*, ſed albo prorſus ſignetur lapillo, tuo, illi, interventu, faveas optatiſſimo. Si etenim *Tullium*, è Roſtris quondam pro Milone dicentem, teterrimoque, aſtantium militum, aſpectu pavidum Cn. Pompei facies, ut ipſe loquitur, recreabat, reficiebatque; iure ſane potiori, idem tua mihi impertietur, præſentia: quandoquidem ubi meam incultam, peneque ruſticam minervam, ſophiſmatum laqueis, ſenſeris, irretitam, facilè ab ijſdem, inſtar noſtri Patriarchę, cuius meritiſſimas geris vices, BENEDICTI, qui ligatum Ruſticum, ſolo enodavit intuitu, ab ijſdem, inquam laqueis, tua vivida oculorum acie, neſcio quid virtutis, doctrinæque incitamentum, ſpirante, illicò poteris extricare. Sicque tuis nè dum Auſpicijs, ſed auxilijs, mea hæc ſacrarum poſitionum ſtabilita exaratio, et propugnatio, virtute non relicta ſuperabit invidiam. Vale.



THE-

# THEOREMATA
## EX PRIMA
# THEOLOGIÆ PARTE

### DE SACRA DOCTRINA.

I.

THeologia noſtra, quæ habet pro obiecto, quidem, materiali, Deum, & omnia aliquo modo ad ipſum conferentia, pro formali, vero eumdem, & hæc alia, ut per lumen fidei manifeſtata, eſt verè ſcientia partim practica, partim ſpeculativa: Et tunc bene in ſuis Syllogiſmis procedit, cum concluſionem, ex una ſaltem præmiſſa, revelata, deducit.

II.

Eadem methodice accepta, licet non ſit ſimpliciter neceſſaria, eſt tamen Eccleſiæ utiliſſima, eo vel maximè, quia omnibus contra fidem argumentis, aliquando poſitive, aliquando, negativè occurrit: ſi autem ſumatur pro habitu quodam etiam acquiſito, ſaltem, quoad principaliora fidei Myſteria, eſt ſingulis adultis ad ſalutem neceſſaria, de via ordinaria. In patria tandem per lumen gloriæ, evacuatur.

### DE NATVRA, ET ATTRIBVTIS DEI.

III.

Hæc veriſſima propoſitio, deus eſt, eſt quidem per ſe nota ſecundum sè, quoad nos vero non cuicumque, ſed tantùm ſapientibus. Quare, licet Dei exiſtentia non poſſit à priori probari, benè tamen à poſteriori, eſt demonſtrabilis: Et ita eadem eſt de conceptu divinæ eſſentiæ, ut hęc nullo modo ſinę illa ſit conceptibilis.

IV.

Conſtitutivum metaphyſicum Dei in Aſeitate reponimus. Nullam omnino diſtinctionem ex n. r. agnoſcimus inter eſſentiam, ſeù naturam divinam eiuſquę attributa, & Relationes, ſicuti neque inter ipſamet attributa, quæ tam inter ſe, quam ab eſſentia, ſufficienter diſtingui iudicamus virtualiter extrinſecè, quamvis intrinſecam virtualem diſtinctionem admittamus inter eſſentiam, & Relationes.

Deus

V.

Deus per ſuam immenſitatem eſt quidem in omni loco, non inde tamen in ſpatiis, quæ appellant imaginaria: ſicuti, & ipſi perfectiſſima competit æternitas; non inde tamen deducendum eſt futura habere, & ſemper habuiſſe eſſe, ut dicunt phyſicum, in eadem æternitate, preter purum eſſe obiectivum in divina mente.

## DE DEO VISO.

VI.

Viſio intuitiva Dei eſt ita ſupernaturalis, ut neque eius poſſibilitas ſit naturaliter demonſtrabilis. Ad hanc tamen eliciendam, ita de facto intellectus creatus indiget auxilio intrinſeco, ſeù qualitate aliqua, ipſum intrinſecè elevante, ut nullo modo poſſet, neque de potentia Dei abſoluta elevari per auxilium merè extrinſecum. Hæc autem qualitas intrinſecè elevans, benè dicitur lumen gloriæ, quod ſive, quævis alia qualitas, ipſi æquivalens, nulli intellectui etiam poſſibili, de potentia Dei abſoluta, poteſt eſſe connaturale.

VII.

Speciem autē impreſſam creatā, ad videndum intuitivè Deum, non ſolum de poſſibili, ſed de facto admittimus, ut indiſtinctā tamē à lumine gloriæ, quod effectivè concurrit cum intellectu ad viſionem, in qua vere intellectus elicit ſuam ſpeciem expreſſam, ſeù verbum mentis tamquam medium incognitum, ſeu rationem qua; & ita quidem, ut ſine hoc verbo neque de potentia abſoluta poſſet videre Deum.

VIII.

Per Viſionem beatificam ita videntur omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, ut repugnet videri eſſentia ſine attributis, & perſonis, vel unum attributum ſine alio vel una perſona, & non aliæ. Inæqualitas poſtmodum viſionis beatificæ, licet moraliter, & remote proveniat ab inæqualitate meritorum, phyſice tamen, & proximè provenit tantum ab inæqualitate luminis gloriæ, ita ut ſtante æquali lumine maior perfectio entitativa intellectus non conferat ad perfectiorem viſionem.

IX.

Comprehenſiva, autem Dei viſio, quæ creaturæ concedi non poteſt, non conſiſtit in cognitione adæquante extenſivè omnia quæ ſunt in Deo formaliter, & eminenter, ſed in eo, quod hæc omnia cognoſcantur quantum ſunt cognoſcibilia; quo ad ſubſtantiam, & modum. Viſio denique corporea divini obiecti per nullam potentiā haberi poteſt.

X.

Inter paucos illos viatores, quibus ex ſpeciali Dei benignitate, viſionem Dei Intuitivam conceſſam fuiſſe licet ad modicum tempus Multi ex Patribus, preter Nonnullos Scholaſticos, probabiliter, docent

docent, Divum etiam Noſtrum Patriarcham BENEDICTVM adnumerandum eſſe non dubitamus, ut ex ſcolaſticis teſtantur ſalmaticenſes, Cartuſianus, Phaſolus, & alii ex Patribus D. Bernardus in ſermone ſuper illud, *Audiam quid loquatur in me Dominus meus.* Rupertus Abas ſuper illud Mattei 4. *Oſtendit illi omnia Regna Mundi* & precipue, ne omnes enumeremus, D. Gregorius Magnus in ſuo lib. 2. Dialogorum.

## DE SCIENTIA DEI.

XI.

Cum immaterialitas ſit radix intellectionis; ex ſumma Dei immaterialitate eius ſummam intellectionem, & ſcientiam naturaliter probamus. Deus igitur principaliter ſe ipſum cognoſcendo, habet pro obiecto primario non ſolum ſuam eſſentiam, ſed etiam omnia attributa, & Relationes pro ſecundario, vero poſſibilia, quæ in ſe ipſo, & in ſe ipſis attingit. Sufficienter dividitur Scientia Dei in ſimplicem intelligentiam, per quam ſimpliciter proſpicit quidquid eſt poſſibile, & in Viſionem, per quam certò, & infallibiliter ſcit omnia futura contingentia libera tàm abſoluta, quàm conditionata; non niſi tamen ſubſequenter ad ſuum decretum abſolutum, vel conditionatum.

XII.

Omnem poſtmodum aliam ſcientiam, quam mediam appellant, quovis modo explicatam, inter duas aſſignatas, omninò refutamus. Ideæ denique omnium creaturarum, tamquam formæ vel Cauſæ Exemplares, non alio ſenſu in mente divina ſunt admittendæ, niſi prout ſunt Eadem Divina Eſſentia diverſimodè ad extra participabilis.

## DE DIVINA VOLVNTATE.

XIII.

Amat Deus ſe ipſum omninò neceſſariò amore tamen non propriè amicitiali, ſed hoc eminentiore. Creaturas autem poſſibiles neceſſario quidem amore proſequitur, ſed complacentiæ. Non habet Deus libertatem contradictionis, ut poſſit neque velle, neque poſitive nolle: ſuus autem actus liber ſupra neceſſarium, non addit aliquod formaliter, vel modaliter diſtinctum à neceſſario, ſed ſolum diverſam attingentiam bonitatis divinæ.

XIV.

Ex nulla neceſſitate neque morali vult Deus ad extra quod melius eſt ex parte obiecti; bene tamen ex parte ſui modi volendi. Admittenda eſt tandem diſtinctio divinæ voluntatis in Efficacem, & Ineſſicacem abſque periculo læſionis libertatis creatæ.

DE

## DE PRÆDESTINATIONE.

XV.

Prædeſtinatio fuit facta ante quamlibet præviſionem meritorum ſive abſolute, ſive conditinate futurorum, & perconſequens ante quodlibet decretum conferendi gratiam tam abſolutum, quam conditionatum.

XVI.

Inter effectus prædeſtinationis non ſunt adnumerandæ naturales perfectiones. Permiſſio tamen peccati etiam gravis non eſt excludenda ab effectibus prædeſtinationis in Electis. Reprobatio autem negativa fuit ante præviſam culpam particularem, non ſic Poſitiva.

## DE ALTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO.

XVII.

In Myſterio Trinitatis, quod nulla ratione naturali eſt cognoſcibile, duæ dantur proceſſiones paſſivæ filiatio, & ſpiratio paſſiva, & duæ aliæ activæ generatio nempe, & ſpiratio activa; quare tres tantum relationes realiter diſtinctæ conſurgunt, Paternitas nempe Filiatio, & ſpiratio paſſiva; licet n. activa ſpiratio quartam videatur conſtituere relationem, nullo tamen modo ex n. v. diſtinguitur à Patre, & filio.

XVIII.

Dictæ autem Relationes nullam perfectionem de ſuo conceptu formali per eſſe ad ſuperaddunt eſſentiæ. Tres Perſonæ poſtmodum, & ſi realiter inter ſe diſtinctæ non dicunt triplicem exiſtentiam relativam diſtinctam virtualiter ab abſoluta.

XIX.

Proxima principia productionum in divinis ſunt intellectio, & volitio, ita ut Verbum formaliter procedat per intellectionem, & ideo ut filius, Spiritus S. autem per voluntatem, & ideo; ut Spiratus non genitus. Ratio autem principij ſumpta, ut id, à quo omnes perſonæ producuntur ſoli Patri convenit; ſed filio etiam ſi concipiatur ut ratio, à qua aliqua profluit perſona.

XX.

Intellectio Divina in Patre ſecundum id, quod formaliter per ſe requirit ad generationem Verbi, debet eſſe terminata ad omne formaliter in Deo exiſtens ſive abſolutum ſive relativum. Procedit etiam divinum Verbum ex cognitione creaturarum poſſibilium, ſecus vero futurarum. Nomen Verbi eſt perſonale, & proprium ſecundæ Perſonæ, non tantummodo appropriatum.

XXI.

Spiritus Sanctus, qui à Patre, & filio tanquam ab uno principio unam ſpirationem activam habentibus procedit, ex vi ſuæ proprietatis perſonalis petit ſic procedere: quare ſi per impoſſibile à filio non procederet, deberent Greci concedere quòd ab eodē non diſtingueretur.

XXII.

Quinque admittendę ſunt in Divinis Nationes nempè Innaſcibilitas Paternitas, Filiatio Spiratio communis, & Proceſſio. Ex his autem illæ tantum realiter diſtinguuntur, quæ in diverſis perſonis reperiuntur. Convenit omnibus tribus perſonis mutua circumſeſſio, quæ non explicanda eſt tantùm per inſeparabilem earundem in omni loco preſentiam; ſed verè quatenus una quæque perſona ſit in alia tanta æqualitate ut non excedantur ad invicem. Mitti denique de quo ſępe loquuntur ſcripturæ benè competit tantùm ſecundæ, & tertiæ non amen Primæ Perſonæ.

## DE ANGELIS.

XXIII.

Angelorum exiſtentia naturali ratione à poſteriori eſt demonſtrabilis; ex ſua natura ſunt ab intrinſeco indeſtruibiles, & tantum per extrinſecam Dei potentiam poſſunt amittere eſſe, quod ſemel ab eo perceperunt. Non ſolum de poſſibili, ſed de facto dantur plures Angeli ſolo numero diverſi ſub una ſpecie ſpecialiſſima: probabilius ſentimus dari plures ipſorum ſpecies, quarum unaquęque ſuos ſolo numero diſcrepantes contineat.

XXIV.

Quia eſſe Angelorum eſt immateriale ſeu ſpirituale preciſè ex hoc ſunt intellectivi; quare non poſſunt omni prorſus intellectione carere; intelligunt poſtmodum ſe ipſos abſque ſpeciebus ab ipſorum ſubſtantia diſtinctis, quibus indigent pro cognoſcendis alijs obiectis. Dictas autem ſpecies impreſſas acceperunt à Deo in primo inſtanti ſuæ creationis ad ea omnia, quæ ſunt ipſis naturaliter cognoſcibilia.

XXV.

Ita quidem in mutua ſui cognitione ſe comprehendunt, ut hoc ſit verùm non ſolum de ſuperioribus reſpectu inferiorum, ſed etiam à contra. Secretà autem, ſeu actus liberi ſive Angelici, ſive humani à nulla creatura ſive humana ſive angelica cognoſci poſſunt ſine revelatione vel divina, vel humana. Vere loquuntur ad invicem per ſolam voluntariam directionem proprij conceptus ad intellectum alterius. Illuminantur etiam ſed tantum inferiores à ſuperioribus.

XXVI.

Angelus, & quevis ſubſtantia ſpiritualis, proprie loquendo non habet locum neque intrinſecum neque extrinſecum: phyſice tamen, & rea-

realiter Angelus eſt in loco per ſolam operationem activam, aut paſſivam circa corpus; iuxta quam explicationem non poſſunt plures Angeli eſſe formaliter in eodem loco, formaliter ipſis adæquato, ſed tantum in eodem materialiter, & inadequate ſumpto. Vere moventur localiter, ita tamen, ut nec motu continuo nec diſcreto moveri poſſint in inſtanti.

XXVII.

Licet non ſit erroneum, videtur tamen temerarium aſſerere Angelos longe ante mundum viſibilem fuiſſe creatos. Ab initio ſuæ creationis habuerunt beatitudinem naturalem, Sicuti, & in primo inſtanti habuerunt gratiam ſanctificantem, ad quam ſe proprie diſpoſuerunt.

XXVIII.

Tribus igitur inſtantibus totum Angelorum negotium eſt abſolutum; in primo n. fuerunt creati in gratia ſanctificante, ad quam ſe omnes diſpoſuerunt tam boni, quam mali, in ſecundo boni meruerunt, & mali peccaverunt, in tertio primi fuerunt beneficati, ſecundi damnati.

XXIX.

Phyſice, & abſolute loquendo potuiſſent Angeli peccare in primo inſtanti. Ipſorum peccatum de facto fuit vera, & propria ſuperbia, in ſtatu damnationis ſunt ita in malo obſtinati, ut nullam operationem moraliter bonam poſſint elicere; iſta tamen obſtinatio non provenit ab intrinſeca entitate phiſica ſuæ voluntatis. Sicuti è contra implicat creatura Rationalis, & libera quæ ſua natura exigat eſſe omnino impeccabilis etiam contra finem ſupernaturalem.

XXX.

Vere Aliqui Angeli boni ad noſtram cuſtodiam ſunt à Deo deſtinati: ſicuti & mali ſunt hominum tentatores, & inimici: hi autem, & animę ſeparatę nunc, in ſtatu damnationis non ſolum pœnam damni, quæ eſt cognitio carentiæ beatitudinis patiuntur, ſed etiam vero igne infernali phyſice torquentur, & non quod hunc ut ſibi diſconvenientem apprehendant.

# DISPVTABVNTVR PVBLICE

In Eccleſia S. Mariæ de Florentia, obiectis ſatisfaciet idem qui ſupra Aſsiſtente P. D. Alphonſo à Neapoli ibidem Lectore.

Anno MDCC. Menſe *feb.* Die *14* Hora *21*

L. A. V. S. D. B. O.

*99 45 26 74*